



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Synopsis Annalium Societatis Jesu In Lusitania

Francus, Antonius

Augustæ-Vindellicorum, M. DCC XXVI.

Annus 1725. Soc. 186.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72313)

bris adscriptus est aternitati P. Joannes Tavares primi Patriarchæ Ulyssiponis Occidentalis primus Confessarius, vir in re morali expertissimus, & religiosâ modestiâ spectabilis. Tredecim de nostris concessere in Maranoniâ. Indiam petunt naves duæ, una de portu egressa, in qua nostri vehebantur, sic est vehementi concussa tempestate, ut ægrè tenuerit sinum Lacobrigensem in Algarbiis, incapax ad iter continuandum. Tandem vitæ periodum clausit septimâ & decimâ septembris die in Portimanesi Collegio, cum quo & ego finem impono Annalibus, P. Franciscus Salgueiro Tingitanus Doctor Theologus præclarissimus, qui virtutis regulam sibi statuit mala pati, bona facere; nam in adversitatibus tolerandis illustre erat exemplum, charitate erga miseros, infirmos, & morientes apud Portimaneses omni major commendatione.

Hactenus, quæ egit Lusitana Societas à primordiis suis in annum octogessimum quintum supra centesimum. Quæ deinceps socii gesserint, scribent alii. Non minora futura putem. Mihi aliud nihil superest, quam aeterno Numini, quas possum, habere gratias, quòd animos, ac vires dederit, totque annos conservarit, ut illi præstarem hujusmodi obsequium; tenuissimum, si spectetur ejus, cui offertur magnitudo: non parvum, si respiciatur offerentis tenuitas, & paupertas. Faxit idem Numen, sit in Ejus majorem gloriam.

Annus 1725. Soc. 186.

I.

Quatuor ætate, & meritis graviore è fociis vitam fluxam cum perenni commutarunt. Ulyssipone 4. Januarii P. Benedictus Oliveira, per Maranoniâ olim Visitator, vir multæ bonitatis, & charitatis. Eboræ 25. ejusdem mensis P. Antonius Correa Estremotensis; præter alia munera egit Provinciale; in eo micabat moris antiqui probitas. Quartâ Maji in Domo Professæ Ulyssiponensis P. Franciscus Tavarus ætatis octogesimo octavo; præter alios magistratus bis rexerit Provinciam vicariâ potestate; omnes agnoscebant nescium doli Israëlitam. Undecimâ mensis ejusdem vitam explevit Pace-Augusta octogenario major P. Antonius Carolus Casnedius Mediolanensis, olim Archithalasi Legionis, & Castellæ Confessarius; cum ipso migravit in Lusitaniâ anno 1702. His postremis annis egit Vice-Provinciale, & Visitatorem. Nullâ suâ culpâ compulsus est se Magistratu abdicare, & ut temporî serviretur, de curia secedere. Abiit Pacem-Augustam, quæ est urbs jam ditionis Regis Castellani; ibi intra decimum sui adventus diem emoritur. Splenduit multâ religione, & sapientiâ.

Jussu Regis sacratum multâ cæremoniâ altare Divæ Quiteriæ in templo Domus Professæ Ulyssiponensis. Profecti Goam undecim, duo in Malabaricas Miliones, novem sacerdotes ad Sinam cum Legato Regis Lusitani ad novum Imperatorem Sinensem. Rediit P. Antonius Magalanius, qui venerat Imperatoris defuncti Legatus ad Lulianum Regem.

Eboræ nobilitatum novis operibus Collegium. In templo totum Sacellum divi Francisci Xaverii auro obductum sumptibus immodicis. Ubi decussantur pergulae, sine transitu in medio Collegii, ædificatur aula spectandis architecturis, sumptu P. Antonii Franco. Ambulacra duo sternuntur quadrato lapide. In villa suburbana de novo effoditur tertius puteus successu oprato propter aquæ saluberrimæ, & ad irriganda pomaria fecundissimam venam. Post theses, ut ajunt, habitas in solemnitate divi Spiritus Collegii Purificationis alumnus æquè audax, ac inurbanus, quòd apparitor Academicus intravit indecore. Idcirco carceri Academico mancipatus: & Convictores, pueri primariæ nobilitatis, quòd Collegæ fecissent animos, in suis cubiculis, tanquam in carcere, diebus aliquot clausi. In illum denique, post menses tres duri carceris, prolata sententia, prout merebatur, ab Academico Conservatore.

Ulyssipone 13. Junii renunciatur Provincialis P. Josephus Almeida, & Præpositus Domus Professæ P. Laurentius Ferreira Doctor Theologus, eosq; in suum conspectum benigne admisit Rex. Placito ejus, qui poterat, in supplicatione Theophorica Domus Professæ omnes nostri processere loco statui accommodo: Coadjutores lineati Crucis agmen præeunti habebant, mox tirones, focii minoribus initiati, Coadjutores spiritalibus, demum Profecti.

S. Parentis Ignatii cultus incrementum sumpsit Portalegriz. Vix domus est, in qua non legantur hæc verba: *Sanctus Ignatius de Loyola Societatis Jesu Fundator*. Id factum est abigendos lemures, & prætigias. In prædio nostri Collegii Pego *esuro* dicto sic leguntur itygia infestantur domos, ut nullis exorcismis arceri possent. Verum ubi parietibus inscripsere dicta verba, omnis vis, & astus mali hospitis evanuit. Hæc ad finem Augusti. Cum quo Synopsis Annalium Lusitanorum Societatis JESU explicat.

Cate-